

*VI.* Vocatio per famam, ab Ecclesiâ dispersam, dummodo, quid Ecclesia credat, qualitercunque innotescat, ad vocationem per verbum potius, quam naturam referenda est.

*VII.* Si America insula Platonis Atlantica est, jam Salomonis tempore Divini verbi notitia eò penetravit: si post Christum demum habitari cœpta est, primi incolæ, aut ipsorum majores, ab Apostolis vocati fuerunt.

*III.* Propriè loquendo non datur vocatio ad Ecclesiam, nisi per Evangelium. Rom. IV. 15. Gal. III. 21.

*IX.* Respectu hominis tamen ex accidenti & occasionaliter Lex fit pædagogus ad Christum, adeoque & Ecclesiam. Gal. III. 24.

*X.* Gratia revocans in Ecclesiâ, ipsâ experienciâ etiam post quoscunque lapsus teste, universalis est & seria, sufficiens atque efficax. Es. LXV. 2. Ez. XXXIII. 11.

*XI.* Solennis tamen revocatio, quæ fit per prædicationem verbi, extra Ecclesiam neque promissa, neque necessaria est. Joh. XII. 36.

*XII.* Quum DEUS deserere malitiosè peccantes dicitur, de subtractione gratiæ, non sufficientis, sed partim justificantis, partim abundantis, seu majoris gratiæ gradus intelligendum est. Jer. III. 12.

---

*Disp. XXVII.*

De

## Regeneratione.

I.

**R**egenerationis vox, quamquam diversimodè & in sacris & in Ecclesiasticis scriptoribus accipiatur, communiter tamen & specialiter virium novæ & spiritualis vitæ, quæ in fide consistit, collationem significat. Joh. III. 5. 6.

*II.* Quæ vires illæ credendi tendunt ad amplexum Servatoris fiducialem, Joh. I. 12. regeneratio ordine naturæ prior est justificatione; quæ tendunt ad sanctimoniam vitæ efficiendam, Gal. V. 6. posterior.

E 2

III. Re-